

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Supplementa Ad Tomum II.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

AD LOCUM XXVIII.
DE COENA DOMINI.

Ad p. 1216. lin. 4. à fin. §. V.

IN assert. omnium articulorum, per Bullam Leonis X. damnatorum, eadem repetit breviter, & nonnulla addidit, dicens, neminem moveri debere tyranni illius Romani & Antichristi decretis vastatoriis & impiis, quibus alteram partem Sacramenti per vim abstulerit iis, quibus Christus ipse donaverit.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 319. b.

Ad p. 1228. ad finem Loci.

Libera sunt tempora, horæ, loci, vestes, ritus. Apud nos non peccat, qui modeste ederit & biberit ante communionem, quod & Paulus confirmat 1. Cor. XI. 21. seq. dicens: *si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis ad cœnam Dominicam*, Ita Christus vesperi instituens communionem, non instituit vespeream pro communionem, nec matutinam; neque enim verbum de tempore, personis, locis, vestibus meminit.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 555. b. 556. a.

SUPPLEMENTA

AD

TOMUM II.

AD

LOCUM I. p. 2. §. II.

Iuvabit hic inferere ALBERTI, Electoris quondam Moguntini, *Diploma Indulgentiarum*, ex Bibliotheca RUDOLPHEA Helmstadiensi à Viro celeberr. editum: tanto forte magis, quanto minus recorder Illustr. *Seckendorffium* illud in Commentarium suum regulasse.

ALBER-

ALBERTUS Dei & Apostolicæ sedis gratia sanctæ Moguntinensis sedis ac Magdeburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Primas & Sacri Romani Imperii in Germania Archi-Cancellarius, Princeps Elector, ac Administrator Halberstattensis, Marchio Brandenburgensis, Stettinensium, Pomeraniæ, Cassuborum, Sclavorumque Dux, Burggravius Nurenbergensis, Rugiæque Princeps, & Guardianus fratrum ordinis Minorum de observantia Conventus Moguntini, per Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam decimum, per provincias Moguntinenses ac Magdeburgenses, ac illarum & Halberstattensis civitates & diœceses, nec non terras & loca, illustrissimi & illustrium Principum dominorum Marchionum Brandenburgensium temporali dominio mediate vel immediate subjecta, Nuncii & Commissarii, ad infra scripta specialiter deputati, universis & singulis præsentis literas inspecturis Salutem in Domino. Notum facimus, quod Sanctissimus Dominus noster Leo, divina providentia Papa decimus modernus, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, ad reparationem Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum sancti Petri de Urbe juxta ordinationem nostram manus porrigentibus adjutrices, ultra plenissimas indulgentias ac alias gratias & facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt, juxta literarum Apostolicarum de super confectarum continentiam, misericorditer etiam in Domino indulgit atque concessit, ut idoneum possint eligere confessorem presbyterum secularem, vel cujusvis etiam mendicantium ordinis regularem, qui eorum confessione diligenter audita, pro commissis per eligentem delictis & excessibus, ac peccatis quibuslibet, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam in dictæ sedis reservatis casibus, ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicujus instantiam latis, de consensu partium, etiam ratione interdicti incurris, & quorum absolutio esset eidem sedi specialiter reservata, præterquam machinationis in personam sanctissimi Pontificis, occisionis Episcoporum aut aliorum superiorum prælatorum, &

f 3;

inje-

injectionis manuum violentarum in illos aut alios praelatos, falsificationis literarum Apostolicarum, delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac sententiarum & censurarum, occasione alumnium tulsæ Apostolicæ de partibus infidelium ad fideles contra prohibitionem Apostolicam delatorum, incurfarum, semel in vita & in mortis articulo quotiens ille imminebit, licet mors tunc non subsequatur, & in non elevatis casibus totiens quotiens id petierit, plenarie absolvere, & eis poenitentiam salutarem injungere, nec non semel in vita & in dicto mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remissionem impendere, & Eucharistiæ sacramentum (excepto die Paschatis & mortis articulo) quibusvis anni temporibus ministrare: Nec non per eos emissa pro tempore vota quæcunque (ultramarino, visitationis luminum Apostolorum & sancti Jacobi in Compostella, religionis & castitatis votis, duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, auctoritate Apostolica possit & valeat. Indulset quoque idem sanctissimus Dominus noster, præfatos benefactores, eorumque parentes defunctos, qui cum claritate decesserunt, in precibus, suffragiis, elemosynis, jejuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplina, peregrinationibus, & cæteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota universali sacrosancta Ecclesia militante, & in omnibus membris ejusdem, in perpetuum participes fieri. Et quia devoti, *Meckel relicta Rodts, Peders & Adam Rodt*, ad ipsam fabricam & necessariam instaurationem supradictæ Basilicæ principis Apostolorum, juxta sanctissimi Domini nostri Papæ intentionem & nostram ordinationem de bonis suis contribuendo se gratos exhibuerunt & liberarunt, in cujus rei signum præsentem literas à nobis acceperunt, ideo eadem auctoritate Apostolica nobis commissa & qua fungimur in hac parte, ipsis, quod dictis gratiis & indulgentiis uti & iisdem gaudere possint & valeant, per præsentem concedimus & lar-

& largimur. Datum *in Göttingen* sub sigillo per nos ad hæc ordinato, die *prima* mensis *Julii*, Anno Domini M. CCCC. XVII.

Forma absolutionis totiens quotiens in vita.

Misereatur tui &c. Dominus noster Jesus Christus per meritum suæ passionis te absolvat, autoritate cujus & Apostolica mihi in hac parte commissa & tibi concessa, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Forma absolutionis & plenissimæ remissionis, semel in vita & mortis articulo.

Misereatur tui &c. Dominus noster Jesus Christus per meritum suæ passionis te absolvat, & ego autoritate ipsius & Apostolica mihi in hac parte commissa & tibi concessa te absolvo primo ab omni sententia excommunicationis majoris vel minoris, si quam incurristi, deinde ab omnibus peccatis tuis, conferendo tibi plenissimam omnium peccatorum tuorum remissionem, remittendo etiam tibi poenas purgatorii, in quantum se claves sanctæ matris Ecclesiæ extendunt. In nomine Patris & Filii & Sp. S. Amen.

Ad p. 785. ante §. XI.

In Tractatu *de abroganda Missa privata* prolixam ostendit *Antithesin Decalogi Christi & Papæ, & Sacerdotii Christiani ac Papistici*, cujus summam postea hac tabula delineavit:

DECALOGUS.

DIVINUS.

Non habebis Deos alienos coram me.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Sabbatum sanctifices.

Honora parentes.

PAPISTICUS.

Dicito, non habendos Deos, sed habeto alienos.

Dicito, nomen Dei non assumendum, sed tamen assume.

Dicito, Sabbatum sanctificandum, sed tu operare.

Dicito, parentes honorandos, sed rebella & occide eos.

Non

Non occides.

Dicito, non occiden dum, sed tamen occide.

Non forniceris.

Dic non fornicandum, coge tamen fornicari.

Non furtum facias.

Dic non furandum, & furare.

Non dices falsum testimonium.

Dic non mentiendum, sed mentire.

Non concupisces uxorem proximi tui.

Dic non concupiscendum, sed nega hoc esse peccatum.

Non concupisces rem proximi tui.

Dic, non concupiscendum; sed scias licere concupiscere.

Ita & Sacerdotia comparabuntur adversaria sibi maxime.

SACERDOTIUM.

CHRISTIANUM.

Christus summus Sacerdos.

Lex ejus, gratia vitæ.

Sacrificium, corpus vivum.

Opera bona, servire proximo.

Peccata, prædictorum omissio.

Pœna, mors æterna.

Merces, gloria æterna.

Ministri, prædicatores Evangelii.

Ufus, crux læta.

PAPISTICUM.

Papa summus sacerdos.

Lex ejus traditio juris Canonici.

Sacrificium, Eucharistia & pecunia.

Opera bona, ceremoniæ.

Peccata, prædictorum omissio.

Pœna, excommunicatio ficta.

Merces, pax & opes mundi.

Ministri, buccæ bullarum.

Ufus, mala conscientia.

Vides ex prædictis, Lector, me nihil falsi dicere de Papistico & sacerdotio & legislatione: atque si hæc non satisfaciunt, offero me paratum adhuc pluribus convincere eos, ex propriis eorum scriptis, esse tales, quales jam publice accuso. Scito ergo, *Papam esse germanum illum & tota Scriptura prophetatum Antichristum*, abominationem ultimam mundi, quem jam cœpit Christus interficere spiritu oris sui, destruetque propediem illustratione adventus sui, quem certissime exspectamus & vocamus.

Addidit etiam ibidem, recreandi spiritus gratia *allegoriam Synagoga*, & comparavit Ecclesiã Romanam cum sacerdotio *Bethaven*, vitulorum aureorum, sacerdotiis excelsorum, cultu idoli Moloch &c. Sed prolixiora sunt, quam ut transcribi queant.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 490. b. 491. a.

INDEX